

predictorum sanctorum^{yy)} consummata victoria, iamque pace per Constantinum Ecclesie reddita, pullulantibus iterum diversis^{zz)} heresibus videlicet Arriana, Donatiana, Pelagiana et ceteris^{a)}, sicque ad rediviva bella ipsam^{b)} Ecclesiam provocantibus, ut^{c)} quam gladius non vicerat^{d)}, verborum fallacia subverteret; ipsos itidem hereticos per doctores suos catholicos videlicet Athanasium, Hilarium, Basilium, Ambrosium, Ieronimum, Augustinum ac ceteros verbis ac scripturis^{e)} constanter revicit eiusque sapientiam, ac si iam perfecte etatis esset, in eis exacuit et elimavit. Denique post huiusmodi triumphos Ecclesia^{f)} quasi iam^{g)} emerita in pace quievit, dum in sanctis confessoribus, anachoritis et monachis in Egypto et Syria ceterisque partibus orbis philosophantibus^{h)} ad celestem et contemplativam vitam ascendit, simulque conversationem ducens angelicamⁱ⁾, infinita bene vivendi nobis^{k)} exempla^{k)} reliquit. Hec et alia multa in illis historiis utilia simul ac delectabilia cernens, plurimosque fratrum nostrorum huiuscemodi rerum ignaros esse^{l)} conspiciens, ipsas etiam sicut et cetera de diversis actoribus^{m)} diligenter excerpendo collegi atque ad certum ordinem temporum cunctaⁿ⁾ redegei.

c. 3^o). De modo agendi et titulo libri

Cum^{p)} autem apud me sollicite ac studiose inquirerem, quonam modo vel ordine cuncta^{q)} in unum corpus aptius compingerem, cernens quod, si^{r)} diversorum sententias ad eandem materiam pertinentes ut fieri solet per singulos titulos annotarem — verbi gratia sub uno titulo sententias et exempla de caritate, sub alio de castitate — et sic de ceteris virtutibus et vitiis sigillatim tractando procederem, totam utique rerum naturam, quam nichilominus describere diligenter disposui, necessario ab hoc opere excluderem, necnon et ordinem historie totius non parum utilitatis vel pulchritudinis habentem omnino confunderem vel everterem: consideratis omnibus competentiores^{s)} procedendi modum nullatenus reperi quam istum, quem pre cunctis elegi, videlicet ut^{t)} iuxta ordinem Sacre Scripture primo de creatore, postea de creaturis, postea quoque de lapsu et reparatione hominis, deinde vero de rebus gestis iuxta seriem

yy) agonum D zz) variis R a) cetera R b) christiania N_2
 c) nec N_3 d) viscerat N_1 e) scriptis D f) fehlt H_2 g) fehlt H_2
 h) folgt et contemplantibus D_1 i) evangelicam D_3 k-k) exempla
 nobis $D_2 D_3$ l) fehlt $D_1 D_3$ m) auctoribus $H_5 D_2 D_3$ n) cuncta N_2
 o) 2 R p) folgt igitur H_2 q) folgt hec DR r) quodque N_2
 s) competitionem N_2 t) folgt rore H_3